

*Responsio Sacrae Congregationis (onc. Trid. quò ad facultatem
Regularium absoluedi a casibus Episcopo reſeruatis,
olim Illuſt. Card. Borromeo tunc Archie-
piſcopo Mediolanen. facta.*

Illuſtriſs. & Reuerendiſſime Domine.

CUM à Sacra Congreg. Cardinalium, qui propoſiti ſunt decretis Trid. Conc. interpre-
tandis Illuſtriſs. amplitudo tua quaſuerit, an Regulares ex privilegio à Sede Apoſt.
impetrato, præſertim autem ex eo, quod nominant Mare magnum, poſſint in caſibus,
quos ſibi Episcopus reſeruauerit, abſolvere conſiſtentes. Hac de re ubi congregatio
accuratè egreſſet, deinde ad ſanctiſſimum D. N. retuliſſet ſanctitas ſua, etiam de ſententia
Congregationis cenſuit, ex facultatibus per hoc Mare magnum, aliæ privilegia Regularibus
conceſſis, ſacram eis non eſſe poteſtatem abſoluedi in caſibus, ſibi ab Episcopo reſeruatis.
Deus Illuſtriſſimæ amplitudini tuæ perpetuam vitæ tranquillitatem, & incolumitatem
largiatur. Romæ die 10. ſeptembris 1577.

Secundo, contra nos Minimos obſtat ſpecialiter conſtitutio Pauli V. quæ
incipit Romanus Pontifex, data Romæ Apud Sanctum Petrum ſub annulo
piſcatoris, die 23. Maij, anno Domini 1606. quam refert Quaranta verbo In-
dulgentiæ, in qua reuocat omnes Indulgentias Regularium, & nouas conce-
dit. Ergò cum prædicta facultas nobis conceſſa abſoluedi in prædictis die-
bus Indulgentiarum, nobis Minimis ſit conceſſa occasione ipſarum Indul-
gentiarum, vt patet ex citatis verbis, Reuocatis Indulgentijs, cenſebitur etiam
reuocata dicta facultas.

Ad primum Reſpondeo, dictam declarationem ſolum loqui de caſibus re-
ſeruatis Episcopis, vt patet, non autem de reſeruatis Apoſtolice Sedi. Vnde
ſicut verum eſt, non poſſe Regulares abſolvere à caſibus reſeruatis Episcopis,
quod contendebant antea Doctores, vt videre eſt apud Sylueſtrum verbo
Confefſor ſecundo, q. 5. Gabrielem 4. in diſt. 17. q. 2. art. 3. ita verum eſt, quod
poſſunt nunc abſolvere ab omnibus caſibus reſeruatis Papæ, exceptis dictis
ſeptem, & exceptis etiam ijs, in quorum reſeruatione reuocantur omnia pri-
uilegia abſolutionem concedentia. Quod etiam notauit Toletus, lib. 1. cap.
41. num. 7. quando ſcilicet derogatio cadit ſupra abſolutionem, nam ſi ca-
dat ſupra rem prohibitam in conſtitutione, abſolvere etiam poterunt. Quod
eſt valde notandum, quia eorum priuilegia, & uſu recepta erant, & non re-
uocata per illam declarationem Gregorij, vt patet, neque per aliam, quod
ſciam ante dictum decretum Clementis.

Et Noto, quòd ad hoc vt priuilegiū cenſeatur uſu receptum, non eſt neceſſe,
quod ſit in uſu apud omnes eo gaudētes. Sed ſatis eſt, quod ſit in uſu apud ali-
quos doctores, & peritiores. Vnde hoc priuilegium, licet ab aliquibus fratri-
bus alicuius Conuentus, ſeu Prouinciæ, vel etiā Religionis non fuerit uſu re-
ceptum, quia illud ignorauerint. Non per hoc debet cenſeri non eſſe uſu re-
ceptum quòd ad alios, neque etiam quòd ad eodem, quando ſciuerint, & uti
vouerint. Tum quia hoc priuilegium eſt poſitum formaliter in expreſſa, &
libera voluntate priuilegiatorum, vt patet ex illis verbis, *Poſſint*, Tum quia ad
hoc vt priuilegium, per non uſum cenſeatur ab rogatum, requiritur, vt
non vtentes habeant ſcientiam illius, & voluntatem, non vtendi illo, vt
Colligitur ex cap. Si de terra, de priuilegijs, & docet Beia 4. parte caſuum, Beia 4.
caſu

Sylueſt.
Gabriel

Toletus

Beia 4.